

VERSION IMPROVISÉE 2

QUINTE CURCE, *Histoires d'Alexandre**(Historiarum Alexandri Magni libri)*, VII, 8, 10-30**Alexandre est remis à sa place par un vieux Scythe**

[VII, 8] (10) Scythis autem non, ut ceteris Barbaris, rudis et inconditus sensus est ; quidam eorum sapientiam quoque capere dicuntur quantamcumque gens capit semper armata. (11) Sic, quae locutos esse apud regem memoriae proditum est abhorrent forsitan animis moribusque nostris et tempora et ingenia cultiora sortitis. Sed, ut possit oratio eorum sperni, tamen fides nostra non debet ; quae, utcumque sunt tradita, incorrupta perferemus. (12) Igitur unum ex his maximum natu locutum accepimus :

« Si di habitum corporis tui auiditati animi parem esse uoluissent, orbis te non caperet : altera manu Orientem, altera Occidentem contingeres ; et hoc adsecutus scire uelles ubi tanti numinis¹ fulgor conderetur. Sic quoque, concupiscis quae non capis. (13) Ab Europa petis Asiam ; ex Asia transis in Europam. Deinde, si humanum genus omne superaues, cum siluis et niuibis et fluminibus ferisque bestiis gesturus es bellum. (14) Quid ? Tu ignoras arbores magnas diu crescere, una hora extirpari ? Stultus est qui fructus earum spectat, altitudinem non metitur. Vide ne, dum ad cacumen peruenire contendis, cum ipsis ramis quos conprehenderis decidas ! (15) Leo quoque aliquando minimarum auium pabulum fuit ; et ferrum robigo consumit. Nihil tam firmum est cui periculum non sit etiam ab inualido. (16) Quid nobis tecum est ? Numquam terram tuam attigimus. Quis sis, unde uenias, licetne ignorare in uastis siluis uiuentibus ? Nec seruire ulli possumus, nec imperare desideramus. (17) Dona nobis data sunt, ne Scytharum gentem ignores, iugum boum et aratrum, sagitta, hasta, patera. His utimur et cum amicis et aduersus inimicos. (18) Fruges amicis damus boum labore quaesitas ; patera cum isdem uinum dis libamus. Inimicos sagitta eminus, hasta comminus petimus : sic Syriae regem et postea Persarum Medorumque superauius, patuitque nobis iter usque in Aegyptum. (19) At tu, qui te gloriaris ad latrones persequendos uenire, omnium gentium quas adisti latro es. Lydiam cepisti, Syriam occupasti, Persidem tenes, Bactrianos habes in potestate, Indos petisti ; iam etiam ad pecora nostra auaras et insatiabiles manus porrigis. (20) Quid tibi diuitiis opus est, quae esurire te cogunt ? Primus omnium satietate parasti famem, ut, quo plura haberes, acrius quae non habes cuperes. (21) Non succurrit tibi quam diu circum Bactra haereas ? Dum illos subigis, Sogdiani bellare coeperunt ; bellum tibi ex uictoria nascitur. Nam, ut maior fortiorque sis quam quisquam, tamen alienigenam dominum pati nemo uult. (22) Transi modo Tanain : scies quam late pateant ; numquam tamen consequeris Scythas. Paupertas nostra uelocior erit quam exercitus tuus, qui praedam tot nationum uehit. Rursus, cum procul abesse nos credes, uidebis in tuis castris. Eadem enim uelocitate et sequimur et fugimus. (23) Scytharum solitudines Graecis etiam prouerbiis audio eludi ; at nos deserta et humano cultu uacua magis quam urbes et

¹ Cette expression désigne le soleil.

opulentos agros sequimur. (24) Proinde fortunam tuam pressis manibus tene : lubrica est nec inuita teneri potest. Salubre consilium sequens quam praesens tempus ostendit melius : inpone felicitati tuae frenos ; facilius illam reges. (25) Nostri sine pedibus dicunt esse Fortunam, quae manus et pinnae tantum habet ; cum manus porrigit, pinnae quoque comprehendere ! (26) Denique, si deus es, tribuere mortalibus beneficia debes, non sua eripere ; sin autem homo es, id quod es, semper esse te cogita : stultum est eorum meminisse propter quae tui obliuiscaris. (27) Quibus bellum non intuleris bonis amicis poteris uti. Nam et firmissima est inter pares amicitia, et uidentur pares qui non fecerunt inter se periculum uirium. (28) Quos uiceris, amicos tibi esse caue credas : inter dominum et seruum nulla amicitia est ; etiam in pace belli tamen iura seruantur. (29) Iurando gratiam Scythas sancire ne credideris ; colendo fidem iurant. Graecorum ista cautio est, qui pacta consignant et deos inuocant ; nos religionem in ipsa fide nouimus : qui non reuerentur homines fallunt deos. Nec tibi amico opus est de cuius beniuolentia dubites. (30) Ceterum nos et Asiae et Europae custodes habebis. Bactra, nisi diuidat Tanais, contingimus : ultra Tanain et usque ad Thraciam colimus ; Thraciae Macedoniam coniunctam esse fama fert. Vtrique imperio tuo finitimos hostes an amicos uelis esse considera ! »

Haec Barbarus.

(620 mots)